

§. XXIIIX.

Addo rationem (7) quod Communio Bonorum non adfuerit, quia peculia, dominia, proprietates ac domus primis Christianis manserunt, Ædes nimirum an omnes ac singuli vendiderint, suppellectilia an adeo dilapidaverint, ut nulla illis peculiaria remanserint, persuadere mihi penitus non possum, hoc etenim certum manet, ad essentialia nec fidei constitutiva nec consecutiva pertinere, si alias revera ad fuit communio, religionis & Christianismi, multos etenim revera adfuisse, qui peculia sua habuerint, Scriptura ipsa testatur, ut Coriarius Simon Cap. X 6. Maria mater Johannis Cap. XII. - 12. Lydia Cap. XVI. - 15. Philippus Evangelista Cap. XXI. - 8., & quis illos a vera Communionem Fidei excludet? & quæso additæ sunt die una, qua prædicaverat Petrus, animæ quasi ter mille, imo quotidie multi sunt additi, dimidiam modo partem dixerim fuisse Hierosolymitanos, jam si considerem, hos omnes quicquid fortuna illis tribuerit Deus, vendidisse, invenio, si vendiderunt, pecuniam acceperunt, sed ad quod conducere potuit, eandem pecuniam pro diversorio, cibis, vestibus expendere fuerunt coacti, quæ vero ista laudanda Oeconomia? nonne potius quivis paterfamilias melius confulere potuisset ecclesiæ, si res familiæ factæ, tectæ ac in pristino statu permansissent, sed quo me fervida defert penna? an ipsi literæ quoque vim infero? sed dirigat Spiritus S. mentem, ut ejus veritatem assequar! Litera quidem aperta adest, quæ legitur Actor. II. 44. *Omnes credentes erant in Unum, & habebant omnia communia. Imo possessiones & facultates vendebant,*

& di-